etiam cum laicis dicunt posse Episcopum: at cum iis nulla potest esse dispensatio, nisi ut promoveantur. Atque de omnibus non sacerdotibus loquuntur eodem modo, quo de laicis. Et probant ex *c. Presbyteros d.50.* Et videntur loqui de verè apostatantibus. Ut dixi *num.6.*

21 At (ut *num. 6.* probavi,) textus ille intelligitur de apostatantibus fictè. Et (ut optimè perpendit *Suarez 5.tom. in 3. p. disp.43. sectione 2. num. 3. & 4.*) nulla conceditur *ibi* facultas Episcopo dispensandi cum laicis, qui ob prædictum timorem apostatarunt: nec cum quibuscumque clericis, ut ad superiores ordines ascendant: sed cum solis non sacerdotibus, ut in susceptis ordinibus ministrent. Quod ex verbis textus constat. Atque ita benè concludit *ibi*, hujus irregularitatis fictè apostatantium ob timorem, dispensationem solius Pontificis esse, quo ad promotionem omnino ad ordines, vel ad superiores ordines. Et similiter quo ad usum sacerdotii. Et similiter quo ad omnia cum iis, qui sponte sic apostatarunt. At potest (inquit) Episcopus dispensare ex gravi aliqua causa cum iis, qui timore gravi ducti apostatarunt, quo ad usum inferiorum ordinum. Quod intelligo non tantùm cum constitutis in inferioribus ordinibus, sed etiam cum sacerdotibus sic apostatantibus. Quia etsi textus id concedens loquatur de diaconis: at cum loquitur de presbyteris, solùm dicit, ut non liceat eis fungi ministerio aliquo sacerdotii. In quo apertè permittit posse inferioribus ordinibus fungi. Et non potest intelligi absque dispensatione. Quia essent melioris conditionis, quàm diaconi apostatantes: cum tamen graviùs delinquant. Quare textus debet intelligi, ut permittatur ex dispensatione. Et sic cum dispensatio sit permissa, intelligitur concessa Episcopo (Ut *numero 14.* diximus.) Insuper advertit benè *Suarez eo numero tertio* id esse speciale in hac irregularitate sacerdotis apastatantis ob timorem, ut inducat etiam suspensionem à prædicationis munere. Quia in eo *cap. Presbyteros*, exprimitur. Quamvis alias non sit intrinseca irregularitati, eò quòd officium prædicandi non sit in rigore actus ordinis.

22 De iis autem, qui vero animo ob timorem à fide apostatarunt, cum is textus non loquatur de illis, sed de fictè apostatis, judicandum est quo ad dispensationem irregularitatis, juxta dicta *numero 13.* & 14. de dispensatione irregularitatis aliorum hæreticorum. Cum hi veri hæretici sint.

CAPUT XXVI.

De infamia, ac beneficiorum privatione, & inhabilitate ad ea, quæ incurrunt hæretici, fautores, defensores, ac receptatores eorum.

SUMMARIUM.

An hæreticus ante sententiam incurrat infamiam juris, & sit inhabilis ad officia, & beneficia? num.1.
Quid, si crimen hæresis sit notorium? num.2.
An eam incurrant fautores, defensores, receptatores hæreticorum? num.3.
An collatio beneficii facta hæreticis, & omnibus his, sit ipso jure irrita, ac teneantur fructus restituere? num.4.
An hæretici sint jure privati beneficiis ante hæresim adeptis? Refertur quædam sententia, num.5.
Sententia Auctoris, num.6.
An exigatur judicis sententia, ut beneficium teneatur hæreticus dimittere, quod ante hæresim acquisierat? num.7.
An exigatur etiam sententia executio? num.8.
An possit hæreticus id beneficium resignare, antequam condemnetur? num.9.
An lata sententia sit privandus fructibus antea perceptis: Et quicumque privatur ipso jure beneficio, amittat fructus ante sententiam? num.10.
An si ante sententiam debitè ministravit beneficio, possit retinere fructus suo ministerio debitos? num.11.
An beneficia hæretici, & cujuscumque, qui illis privatur ipso jure, possint alteri conferri, & tamquam vacantia impetrari: & ad ea patronus præsentare, possessore non citato? numero 12.
An hæreticus pœnitens, vel qui statim convertitur, privetur beneficio? num.13.
An suspecti, vel diffamati de hæresi, amittant ipso jure beneficia? num.14.
Quid de receptatoribus, fautoribus, & defensoribus hæreticorum? num.15.
An omnes hi possint in alterius favorem resignare? n.16.

1 Circa infamiam *Peregrinus de jure fisci lib. 5. tit.1. num. 172. vers. Notandum tamen, Castro lib.2. de justa haret. punit. cap.9. & Azev. lib.8. recop. tit. 3. l. 3. nu.32. Arag.2.2.q. 11. art.3. fol. 353.* dicunt hæreticos esse ipso jure infames ante omnem judicis sententiam. Tum quia infamia est ipso iure irrogata. Tum etiam, quia hæc pœna in privatione, non in actione consistit. At pœnæ in privatione consistentes non indigent judicis sententia. At verius est, hæreticum hac pœna non affici, nisi post sententiam judicis declaratoriam. Sicut quamvis à die commissi criminis perdat hæreticus bonorum dominium; at non tenetur ad ea relinquenda, donec sententia judicis declaretur hæreticus. Nec est opus sententia condemnante ad bonorum amissionem. Ita etsi hæreticus sit ipso jure infamis; at infamiam hanc non incurrit, donec ejus crimen declaretur. Ea autem declaratione præcedente infamis est, etsi in sententia non condemnet eum judex, ut infamem. Sic docet *Azor*, latiùs probans *tomo 1. libro 8. instit. moral. c.13, post qu. 8. in 7. hæreticorum pœna.* Ejusdem sententiæ videtur *Simanc. de cathol. instit. tit.9. numer.203.* ubi ait posse dici hæreticos non arceri ab Ecclesiasticis beneficiis, usque ad sententiam. Et *Castro lib.2. de lege pœnali cap.15. in fin.* ubi ait occultum hæreticum non incurrere infamiam juris, vel facti; & sic non esse inhabilem ad beneficium, vel officium assequendum. Hoc autem intelligo ratione infamiæ. Nam ratione excommunicationis, & irregularitatis erit inhabilis ad beneficium, & officia ordinum exercenda.

2 Si tamen crimen hæresis notorium fuerit evidentia facti, contrahet hæreticus infamiam facti, quæ per contrarium factum aboletur, non tamen infamiam juris, usque ad sententiam. Ita *Azor. num. praced.* allegatus.

3 Eadem infamia ipso jure afficiuntur receptatores, fautores, defensores hæreticorum, si intra annum satisfacere neglexerint, *c. Excommunicamus, 13. §. Credentes de haret.* Et id intelligitur, quando hæc præstant in hæreticos formaliter. Juxta dicta *c.10. nu.4. & 5.*

4 Circa privationem autem beneficiorum, constat collationem beneficiorum factam hæreticis, receptatoribus, fautoribus, defensoribus eorum, esse irritam; ac proinde eos teneri statim restituere fructus tamquam iniquè perceptos. Constat ex *cap.2. §. Haretici, de haret. in 6.* ubi decernitur, ne hi ad ullum officium publicum, aut beneficium admittantur, quòd si secùs actum fuerit, esse irritum & inane. Præterea, quia sunt excommunicati, & irregulares. Ut ex præcedentibus constat. Atque ita docet alios referens *Penna in directorio Inquisitorum 3. p. qu.113. commento 162. Salzedo in pract. Bernardi Diaz cap.114. Azor. tomo 1. lib.8. inst. mor. cap.13. qu.8. Sayro in clavi regia, lib.3. cap.9. num.30. vers. Sic etiam.*

4 Tota difficultas est, an ipso jure privati sint beneficiis ante delictum adeptis. Et de hæreticis, quidam sentiunt eos non esse privatos ipso jure, sed privandos per sententiam. Ducuntur, quia *c. Ut commissi 12. vers. Privandi, de haret. in 6.* Sic dicitur: *Privandi, vel privatos nuntiandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis hæreticos, credentes, receptatores & defensores ipsorum, plenam concedimus facultatem.* Et *c. Ad abolendam 9. vers. Præsenti, de haret.* tantùm dicitur, ut priventur. Atque ita docent *Castro lib.2. de justa haret. punit. c.9. Simancas de instit. cathol. tit.46. num. 72. Aragon. 2. 2. q.11. art.3. fol.352. Enriq. lib.13. de excommun. c. 56. num.2. Ludov. Gomez regula de annali possess. qu. 52. Vasquez 1. 2. qu.96. art. 5. disp.172. cap.2. nu.11.*

6 At verius est privatos esse ipso jure à die commissi criminis omnibus beneficiis Ecclesiasticis ante hæresim adeptis. Quia in illis verbis *d. c. Ut commissi, vers. Privandi*, quibus contraria sententia innititur, *Privandi, vel privatos nuntiandi*; Vel, non sumitur disjunctivè, sed expositivè; ita ut sensus sit, *privandi*, idest, *privatos nuntiandi*; vel *privandi* refertur ad receptatores, & defensores; *privatos nuntiandi*, ad ipsos hæreticos. Secundò probant hoc *Penna, Salzedo, Azevedo, Azor. Man. Petr. de Ledesm.* statim allegandi. Quia quidquid sit de jure communi antiquo, extat proprius motus Pii V. incipiens, *Cum ex Apostolatus*, quem affert *Penna in fin. directorii inquisitorum*, inter litteras Apostolicas ipsorum, ubi beneficia qualiacumque fuerint, ob hæresim vacantia reservat sedis Apostolicæ collationi. Quare ea ipso jure vacare supponit. At hic motus proprius minimè probat hanc partem. Quia nec motus proprius decidit ea ipso jure vacare, nec id supponit; sed solùm reservat sedi Apostolicæ collationem, quandocumque vacarint, sive ipso jure vacent, sive per sententiam. Et ideò quamvis hanc opinionem tamquam probabiliorem amplectar existimo tamen priorem sententiam esse probabilissimam. Et hanc sent. tuentur *Jo. Andr. Abb. Præpos. Dominic. Felin.* quos refert, & sequitur *Cov. 2. var. c. 8. num.4. Rebuffus praxi benef. 3. p.1. de modis amittendi beneficia, num.4. & de pacif. possessor. nu. 196. Bern. Diaz pract. canonica c.114. num.2. & ibi Salzedo, Navarr. lib.5. cons. tit. de haret. in 1. editione cons. 6. in 2. edit. cons. 16. n. unico, vers. 2. Menoch. de arb. lib. 2, centuria 5. casu 416. nu.61. Penna in direct. Inquisitorum 3. p. quæst. 113. commento 162. Meres de majoratu, in 1. edit. 1. p. qu.1. num.66. Palacios de contractib. lib.6. c.7. fol. 541. col.1. Spino speculo test. gl.12. rubrica, num.45. Rojas singulari 73. Azevedo lib. 8. recop. regia tit. 3. l.1. nu.203. Flamin. de resignat. benef. l.3. qu.1. num. 32.* ubi multos alios refert, *Azor. tomo 1. l.8. instit. moral. cap. 13. q.3. & 8. Manuel. 1. tom. summa 1. edit. c.130, num.3. Petr. de Ledes. 1. tomo summ. tract. 1. cap. 6. conclus. 14. Decian. in sua practic. lib.5. c.44. num. 26.*

7 Exigitur tamen sententia declaratoria criminis hæretici, ut beneficium ante hæresim adeptum dimittere teneatur. Quia etsi à die commissi criminis titulo beneficii careat: at possessionem retinet, quæ sufficit, ut id retinere valeat, Sicut in bonis temporalibus diximus, *hoc l. c. 22. n.7.*

Item

Item quia communior sententia habet privatos ipso jure beneficiis non teneri ea dimittere, usque ad sententiam criminis declaratoriam. Etsi multi quoque contrarium teneant. Et ita nobiscum tenent *Monoch. dict. casu 416. num.62. & duplici sequenti, Salzedo, Azevedo, Flaminius numer.48. Palacios, Manuel. Petrus de Ledesma num. praced.* allegati *Azor. tomo 1. lib. 8. inst. mor. c.13. qu. 8. Enriq. lib.14. de irregul. c.4. nu.6. & lib. 13. de excom. c. 56. num.2.* Quamvis *Suarez tomo 5. in 3. p. disp. 43. sect. 1. num.4.* teneat hæreticum amittere beneficia ante sententiam criminis declaratoriam. Quod non credo, si intelligat ita amittere, ut teneatur se illis statim privare. Si autem intelligat amittere ipso jure titulum ante omnem sententiam; est nostra sententia, quam *numer. praced.* explicuimus.

8 Imò, & requiritur sententiæ privationis executio facta per judicem, & ante eam hæreticus jam condemnatus non tenetur se beneficiis spoliare. Sicut *c.22. num. 8.* diximus de bonis temporalibus. Quia etiam dum quis privatur per canonem ipso jure beneficio, ultra sententiam judicis condemna oriam exigitur etiam sententiam executio. Ut benè tradunt *Covarr. 4. Decret. 2. p. c.6. §.8. numer. 8. Enriquez libro 13. de excommun. cap.56. num.3. in fine, Azor. tom.1. lib.5. inst. mor. cap.8. quæst.4.* Quod limitandum est, sicut in bonis temporalibus limitavi *cap. 14. num.7.* nisi judex in sententia præciperet, ut sic condemnatus dimitteret statim beneficium.

9 Hinc deducitur non posse hæreticum beneficio ante hæresim adepto renuntiare in favorem tertii, & si resignet, nullum jus acquiri ei, in cujus favorem resignatio fit. Ita *Bernard. Diaz, Salzedo, Penna num.6.* allegati. Quod non sic accipiendum est, quasi nullius momenti sit resignatio, aut si commutet, nullius momenti sit commutatio. Quippe hæc valent, & acquirit jus ille, in quem beneficium hæreticus relignat, sive simpliciter, sive via permutationis, donec crimen hæretici declaretur. At eo declarato retrotrahitur sententia, usque ad diem commissi criminis, & ea permutatio, & renuntiatio beneficii rescindunturur, atque aufertur beneficium ei, qui gratia simplicis renuntiationis, aut permutationis ab hæretico id adeptus est. Sicut in cæteris hæretici contractibus contingit. Sic *Azor. tomo 1. lib.8. instit. mor. c.13. q.8.* At dum spoliatur hic beneficio via commutationis habito ab hæretico, potest ad suum, quod hæretico dedit, redire. Quia hæreticus tamquam ejus incapax jus nullum acquisivit, ac proinde est vacans. Nec commutatio sortita est plenum effectum, sed perinde revocatur, ac si facta non esset. At quoties permutatio non habet effectum, potest permutans propria auctoritate ad suum beneficium redire. Ut multis allegatis contra alios dicentes novam collationem exigi sustinet *Flamin. de resignat. benef. lib.1. q.14. à nu.6.* Et saltem videtur certum ei reddendum suum beneficium, quod non absolutè resignavit, sed via permutationis, & ea lege, ut permutatio omninò teneret.

10 Secundò deducitur, lata sententia hæresis declaratoria hæreticum non tantùm privari beneficio, sed etiam fructibus à die hæresis admissæ perceptis. Quia quoties pœna amissionis beneficii est ipso jure statuta, id operatur, ut cum fuerit lata sententia, privetur delinquens beneficio cum fructibus à die commissi criminis perceptis. Ut optimè docent *Bernard. Diaz pract. canon. c.131. num.5. Covarr.4. Decret. 2. p. c. 6. §. 8. Molina tomo 1. de just. disp.96. pag. 590. in fine, Enriquez lib.13. de excommun. c. 56. num. 2. in fine.* Et eò vel maximè habet verum in hoc casu, cum ii fructus sint hæretici bona; atque omnia ejus bona publicentur. Unde non approbo, quod dicit *Azor. tomo 1. lib.5. instit. mor. c.8.q. 3.* nempe eum, qui privatur ipso jure beneficio, non facere fructus suos, etiam ante sententiam criminis declaratoriam. Quod etiam allegato *Corseto* videtur expresè tenere *Ludov. Gomez. cap.1. nu.9. de refor.* ubi ait hunc in neutro foro facere fructus suos. Nam fructus beneficii sine titulo non acquiruntur. Et sicut hoc locum habet, cum initio titulus non acquiritur; ita & cum ob crimen titulus ad non titulum reducitur. Sed meritò alii (ut refert *idem Azor. ibi*) tenent contrarium. Atque Doctores proximè allegati eum solum effectum huic privationi ipso jure inductæ tribuunt, ut lata sententia privetur delinquens fructibus à die commissi criminis perceptis. Nec est simile, quando initio titulus fuit nullus. Quia tunc nec titulus, nec possessio juvant, tamquam minùs legitima. At quando postea titulus ob crimen deperditur, remanet legitima possessio, ac justè retenta usque ad sententiam: quæ satis est ad fructus acquirendos. Sicut quando à principio non acquiritur dominium alicujus rei, est statim restituenda. At quando semel acquisitum deperditur per hæresim, legitima possessionis retentio, usque ad sententiam excusat à restitutione. Ut diximus *c.14. nu.3. & 4.*

11 Quòd si hæreticus ante sententiam debitum ministerium exhibuerit; quamvis aliquis posset existimare posse illum retinere fructus suo ministerio debitos, nisi in pœnam iniquæ administrationis illis privaretur in sententia. Ut de excommunicato, & irregulari sustinuimus *lib.3. de matrimon. disp.51. num.12. in ultima ratione.* At in hoc casu id deficit. Quippe universa hæretici bona publicantur, inter quæ computantur fructus illi ministerio debiti.

12 Tertiò deducitur, posse beneficia hæretici ante sententiam declaratoriam hæresis impetrari tamquam vacantia; & alteri conferri, hæretico non citato; utpote qui jure ipsorum caret. Quamvis possessio alteri conferri nequeat eo non vocato. Et ratio est, quia hoc ita fieri potest, quoties beneficium ipso jure perditur. Sic colligitur ex *c. Licet Episcopus 28. de præben. in 6.* ubi textus hoc decidit agens de beneficio vacante ob incompatibile recipientis factum. Quod *Gl. ibi verb. Te non vocato, Francus ibi, in fine, Dominic. in fin. Flamin. de resignat. benef. lib.3. q.1. num.37.* & multis aliis citatis *Lambert. de jure patron. 1. p. l. 2. qu. 6. toto art.9. & 10. Azor. num. prac.* relatus extendunt ad casus, in quibus inducitur privatio beneficii ipso jure. Et in propriis hæretici terminis tenent *Decian. nu. praced.* relatus, & *Flamin.* alios referens *ea q. 1. num.33.* Qua ratione *Lambert.* aliis relatis, & *Dominic. ibidem* tradunt posse similiter patronum ad id beneficium præsentare, non citato possessore. Quia id minus est, quam conferre.

13 Quartò deducitur non admittendum *Rebuffum de pacificis possessor. num.196.* ubi ait hæreticum recuperare beneficia si statim convertatur. Quia non dicitur divertisse, qui statim convertitur. At benè id improbat *Simanc. in Enchiridio judicum, tit.58. num.4.* Nam cum eo ipso, quòd quis in hæresim incidit, sit verus hæreticus, amittit statim beneficium, sicut & alia bona. Sicut ergo non recuperat alia bona, ita nec beneficium. Nec admittendus etiam est *Eymericus in directorio Inquisitorum 3.p. qu.113. in fin.* ubi ait pœnam privationis beneficiorum non habere locum in hæreticis pœnitentibus. At *Penna ibi commento 162.* ait hoc esse valde difficile, ac relatis variis sententiis concludit ex tardiori, vel minùs tarda hæretici conversione pendere, an expediat illum beneficiis non spoliare. Subdit autem optimè solius Pontificis esse non spoliare prædictos beneficiis ante hæresim comparatis. Quia Pius V. (ut *num.6.* retuli) reservavit beneficia ob hæresim vacantia dispositioni sedis Apostolicæ. Atque ideò solius esse de illis disponere, tradunt *Azor. tomo 1. inst. moral. lib.8. c.13. qu.8. Thomas Zerola in praxi Episcopali p.2. verbo Beneficium, vers.16. Lara de capellanis, lib.2. c. 8. num.21.*

14 Beneficia verò suspectorum, aut diffamatorum de hæresi, non vacant ipso jure, sed juxta criminis qualitatem sunt illis per sententiam privandi. Ita *Penna num. præcedenti* relatus. Quid autem de justis abjurare ob vehementem suspicionem, diximus *c. praced. num. 12.*

15 Receptatores quoque, fautores, & defensores hæreticorum, non sunt privati ipso jure, sed per sententiam privandi beneficiis ante comparatis. Ut constat ex *c. Excommunicamus, el 1. §. Credentes, de haret.* Et ita docent *Covar. lib.2. var. c.8. n.4. Penna nu.13.* relatus.

16 Quare possunt omnes contenti *duplici num. præcedenti* renuntiare validè beneficiis in alterius favorem, antequam illis per sententiam preventur. Nec ea renuntiatio rescindetur lata sententia; ac suum robur obtinebit, etsi alius ea à Pontifice impetrarit in eventum vacationis. Quia *lib. 7. de matrim. disp.42. numero 2.* probavimus id esse generale, quoties beneficium non amittitur ipso jure, sed est per sententiam auferendum.

CAPUT XXVII.

Qui filii reorum criminis læsæ majestatis, divinæ, vel humanæ, incurrant pœnas ipsis jure statutas?

SUMMARIUM.

An hæ pœnæ habeant locum in filiis quomodocumque illegitimis? num. 1.
Ad quotum gradum extendantur? num.2.
Explicatur constitutio Pauli IV. de hoc agens, nu.3.
Exponitur alia constitutio Federici de eadem re tractans, numero 4.
Quot quæstiones disputandæ sint, num. 5.
An sit ratio puniendi filios, infectio sanguinis ob crimen paternum? num.6. & 13.
An sit hujus ratio, præsumptio imitationis morum parentum? numero 7.
An sit ratio, ut parentes puniantur in filiis? num.8.
An filii concepti ante hæc parentum delicta, subjiciantur his pœnis? Refertur opinio, num.9.
An conferat ad filiorum mores, fuisse parentes bonos, aut malos, tempore conceptionis? num.10.
An hæc magis timeatur ex eo sanguine infecto, quàm ex prava educatione? num.11.
An efficacior sit quo ad hoc patris infectio, quàm matris? n.12.
An ad mores conferat lactatum quempiam esse à prava, aut bona matrice? num.13.
Explicatur sententia Auctoris, circa pœnas incurrendas à filiis conceptis ante parentum delictum? num.14.
An incurrant concepti post merè internam hæresim? num.15.
An concepti ante id crimen priventur legitima parentum? numero 16.
Solvuntur argumenta, num.17.

Hacte-

HActenus de hæreticorum pœnis disseruimus. Jam de pœnis, quibus eorum filii afficiuntur, agendum est. Atque in *hoc capite* disputatur, quæstio generalis de filiis, quos hæ pœnæ ligent. De pœnis autem ipsis tractabitur *c. sequenti*. Et quidem in hac quæstione duo ab universis tamquam certa admittuntur. Prius est, pœnæ omnes filiis reorum læsæ majestatis, & hæreticorum fautorum, defensorum, & receptatorum statutæ, habent locum, non in solis filiis legitimis, sed etiam in quibusvis illegitimis, & spuriis. Ne id absurdum sequatur, ut plus honoris luxuriæ, quàm castitati tribuatur, contra §. *ult. auct. de rest. & ea qua parit*. Et ratio est, quòd hæ pœnæ filiis inferantur, eò quòd ab hæretici sanguine processerint, ejusque corporis pars sint; quod æquè in spuriis reperitur. Et ideò ita docent *Gl. c. Statutum, el 2. verbo Volumus, de hær. in 6. & ibi Jo. And. num. 1. in fin. Anchar. nu. 2. Francus nu. 4. Dominic. in princ. num. 4.* & alios referens *Covarr. lib. 3. var. c. 8. num. 3. Gregor. Lopez. l. 2. verbo Sus filios, tit. 2. p. 7. Molina lib. 4. de primog. c. 11. num. 56. Simancas in Enchiridio judicum c. 63. nu. 3. & de cathol. inst. tom. 29. num. 16. Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsumptione 33. nu. 11. Penna 3. part. directorii Inquisitorum, commento 263. Azor. tomo 1. instit. moral. lib. 8. c. 13. post. 8. q. in 8. pœna, Suarez 5. tomo in 3. p. disp. 43. sect. 3. num. 2.* Quod meritò *Menoch.* ibi dicit ab omnibus teneri. Quia etsi *Covarr.* referat *Joann. Andr. Dominic. & Francum hic* relatos, dicentes hoc non procedere in filiis spuriis, seu vulgò quæsitis; atque hoc idem tradit *Villadiego tract. de haret. q. 23.* ipsi se explicant, eò quod pater sit incertus; quare patre existente certo, non negabunt eos his pœnis subdi. Hac autem limitatio est verissima; evadent enim filii eas pœnas, si pater sit incertus. Quod ultra prædictos Auctores, sustinent *Cynus, & Alberic.* quos refert, & sequitur *Covarr. eod. nu. 3. in fin.* Nec enim æquum est, ut in dubio eas pœnas subeant.

2 Posterius est, in *c. 2.* §. *Hæretici, & c. Ut commissi*, §. *ult. de hæret. in 6.* filii hæreticorum, credentium, receptatorum, & fautorum ipsorum, usque ad secundam generationem, sunt effectì inhabiles ad beneficia Ecclesiastica, & officia publica, atque adeò ad dignitates, instar parentum eorum. Postea vero id limitatum est *c. Statutum, el 2. de hæret. in 6.* ut intelligatur per lineam paternam, usque ad secundam generationem, idest, usque ad filios, & nepotes; per maternam verò: usque ad primum dumtaxat gradum, idest, usque ad filios. Quare si sola mater fit hæretica, soli filii incurrent has pœnas. Si autem pater, filii, & nepotes ex filio; non autem nepotes ex filia. Quia patris conditionem sequuntur, & jam descendunt ab hæretico per lineam maternam, quæ quo ad filiorum pœnas protenditur ad solum primum gradum. Ita docent *Ant. Gomez tomo 3. var. c. 2. num. 4. Molina tomo 3. de just. p. 1. disput. 658. num. 19. vers. Filii tamen, Suarez 5. tom. in 3. p. disput. 43. sect. 3. num. 1. Azor. tomo 1. instit. mort. lib. 8. cap. 13. post qu. 8. in pœna 8. hæreticor.* Hujus autem discriminis ratio est, quòd deterior sit infectio viri, quàm fœminæ: Ut *num. 12.* probabimus; & filii magis patrem, quàm matrem repræsentare videntur. Et sicut nobilitas, dignitas, & familiæ honores descendunt in posteros ex sexu virili, ita majorem jacturam ex crimine paterno, quàm ex materno eos pati est justissimum.

3 Quòd si opponatur constitutio Pauli IV. confirmata à Gregor. XIII. prohibens descendentes ex Mauris, Judæis, aut hæreticis, usque ad quartam generationem admitti. Quam constitutionem explicant *Nav. lib. 5. consil. in 1. editione, tit. de Judæis, toto cons. 1. & in 2. tit. de hæreticis, toto consil. 22. Avila de censuris p. 7. disp. 4. dubio 3.* & dicunt, etsi in rigore juris hæ extravagantes sint intelligendæ in descendentibus ex hæreticis, Judæis, vel Sarracenis, etiam non condemnatis, sed controversis; posse tamen diei ex juris æquitate eas non habere locum in descendentibus ex illis, qui sponte propria nulloque metu coacti, sunt conversi. Additque *Avila* se recepisse à quibusdam viris doctis, & in praxi peritis, eas non esse usu receptas. Sed non est cur ad hæc confugiamus; quia de sola admissione ad ordinem D. Francisci loquitur. Quod ex ejus tenore constat, quam ad verbum refert, ita explicans *Manuel. quæst. regularibus, tom. 1. q. 14. art. 1. & 2. & in summa, tomo 2. c. 5. nu. 3.* Atque *eo art. 1. in fine*, ait eam extravagantem esse postea restrictam à Sixto V. usque ad secundam generationem paternam, & primam maternam, juxta restrictionem textus in *d. c. Statutum*.

4 Sed fortiùs obstare videtur constitutio quædam Federici Imperatoris, quam referunt Doctores passim, quæ liberos omnes committentum crimen læsæ majestatis, divinæ vel humanæ, afficit infamia, eos excludens omnibus officiis publicis, ac dignitatibus. At nomine liberorum constat descendentes omnes includi. Quæ quo ad liberos reorum majestatis humanæ, nec restricta est, nec videtur posse restringi per jus canonicum in *d. c. Statutum*, utpote quæ delictum omnino sæculare punit; nec quo ad officia publica videtur posse restringi etiam quo ad filios hæreticorum. Quòd officia hæc sint sæcularia. At dicendum est, restrictionem *d. c. Statutum*, habere locum in his casibus. Quod fatentur omnes pro utraque sententia allegandi *num. 9. & 14.* Et ratio est, quia cum crimen hæresis sit fori Ecclesiastici, potest lex Ecclesiastica pœnas illi statutas temperare. Et quamvis textus non loquatur de filiis reorum læsæ majestatis humanæ, eadem quoque restrictio ad eos extenditur, ducto argumento à fortiori. Ut optimè aliis relatis tradit *Antonius Gomez tomo 3. variarum, cap. secundo num. 15.*

5 Quadruplex autem quæstio est disputanda. Prima, de filiis conceptis ante parentum crimen. Secunda, quid de filiis, quorum Parentes contumaces damnantur in absentia, & comburuntur eorum statuæ? Tertia, quid quando Parentes obiere catholici, etsi combusti sint? Ultima, an desideretur Parentes fuisse damnatos tamquam hæreticos, an potiùs nulla sententia desideretur?

6 Quæstio prima. An filii reorum læsæ majestatis, divinæ, vel humanæ, geniti ante parentum crimen, afficiantur pœnis jure statutis in eorum filios? Quæstio est celeberrima, & valde controversa; in qua est duplex opinio: sed antequam priorem proponamus, oportet triplex fundamentum, cui principaliter innititur, explicare, ac ex eorum Doctorum illam amplectentium mente probare. Primum est. Ratio infligendi has pœnas filiis ob hæc parentum crimina, non est infectio sanguinis Parentum, eo tempore, quo filios genuere, quasi in ipsos virus transfluisse videantur. Tum, quia hæc non sunt quasi originale peccatum, quod per generationem transfunditur, ac reddit filios peccatores, sed verè horum filii sunt innocentes, & nullius Parentum peccati sunt rei. Nec parentes acquirunt alias qualitates, & humores, post scelus perpetratum, ab antea habitis, ut dicere cogamur filios post delictum genitos, alium infectum sanguinem participaturos, quem filii antea geniti non participarunt. Tum etiam, quia si in his pœnis infligendis aliqua sanguinis infectio spectaretur, essent acriùs puniendi filii ob maternum delictum, quam ob paternum. Quippe quod attinet ad corpus, & sanguinem, plus à matre, quàm à patre recipiunt, similioresque sunt Matri. Atque ideò *Faber institutæ de nuptiis, in rubrica, numero primo*, sic ait: *Ut plurimum pueri matrizant in corpore*. Atque hanc rationem tradunt communiter Doctores, ut partus sequatur ventrem quo ad servitutem, quòd servitus se teneat ex parte corporis, quod præcipue est à matre, utpote quæ materiam ministrat. Hoc autem apertè est falsum, constat enim ex dictis *num. 2.* acriùs puniri filios ob crimen paternum, nempe usque ad secundam generationem; cum ob maternum usque ad solam primam puniantur. Et confirmatur, si infectio sanguinis esset causa harum pœnarum, ob solam matris hæresim nullis subjacerent pœnis. Sicut Theologi communiter tradunt Adamo non peccante, sed sola Eva, nil mali culpæ, aut pœnæ in posterioritatem transfundendum. Et iterum confirmatur, quia si sanguis Patris infectus posset utcumque filiis nascituris inclinationem ad vitia corporalia imprimere; at respectu criminum purè spiritualium, nullum cum corpore commercium habentium, nec ab eo ullam trahentium originem, id verum nullatenus esse potest. At quamvis aliquæ hæreses à carnalibus vitiis oriantur, omnium tamen hæresum fons potissimus est superbia, quæ vitium spirituale est; atque plures funt hæreses nil commune cum carne habentes, quarum labes ex sola voluntatis malitia procedit. Cum ergo circa has hæreses nil valeat sanguis infectus nocere filiis, ut ratione hujus infectionis timeantur mali filiorum mores, apertissimè convincitur rationem harum pœnarum non esse sanguinis infectionem.

7 Secundum fundamentum est. Ratio potissima harum est, jura præsumere fore, ut filii mores parentum imitentur. Constat ex *l. Quisquis*, §. *Filii, C. ad l. Juliam majestatis*, ibi: *Paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuuntur*. Quippe frequentissimum est, tales fore filios, quales parentes. Quod ex innumeris probant *Tiraquell. l. 7. connubiali, part. 7. glos. 1. à num. 1. & Chassanaus in cathalogo gloriæ mundi, p. 11. consideratione 25.* & ultra, quæ ipsi adducunt, id optimè docet *D. Chrysol. tomo 2. in c. 25. D. Matth. homil. 45. in medio, in litera B.* ubi hæc ait: *Natura regula dicit, quia non potest fieri, ut de bonis parentibus mali nascantur, aut de malis boni. Sed quales fuerunt parentes, tales erunt & nati*. Idque multis testimoniis probat, & postea concludit hæc: *Sicut ergo extra regulam naturæ raro evenit, ut deformis homo nascatur: sic & homo extra regulam naturæ raro procedit, ut dissimilis nascatur parentibus suis*. Et *Nicetas in orationem 42. D. Gregor. Nazianz. tomo 2. fol. apud me 915. litera B.* sic ait: *Paterna natura compendiosa demonstratio est filius; omnis enim proles parentum sui tacita est ratio sou diffinitio*. Et ibi latiùs id probat *D. Gregor. Nazianz. carmine ad Nicolaum, tomo 2. fol. apud me 1284. litera.*

Gloria namque patri natorum fama decusque,
Ut rursus natis est gloria fama parentum,
Gratia communis, labes communis utrisque.

Et *Plautus in Pseudolo, act. 1. scena 5. Probum esse patrem oportet, qui natum suum esse probiorem vult*. Quantumque valeant ad ingenium habitu hoc aut illo imbuendum, moresque inferendos progenies, declarant egregiè Poetæ, qui significare volentes quemquam sævo, & inhumano esse ingenio, eum dicere solent è faxis, marisque rupibus natum. Ita *Homerus Iliadum 17. Dido apud Ovid. in epist. ad Æneam, & Methamorph. 8. & l. 1. de tristib. elegia 7. Virg. ecloga 8. & lib. 4. Æneid, Catullus de nuptiis Telei, & lib. 3. elegia, 4. Tibull. lib. 2.*

elegia 2. Theocrit. Idillio 3. & 28. Euripides in Bacchis, Æschylus in Prometheo. Quare jure optimo Jurisconf. *l. Quod si nolit 31.* §. *Qui mancipia, ff. de ædilio edicto*, cavit vendentem seruum teneri ejus nationem exprimere, ubi *Flo. verbo Nationem* explicat, idest, ex quibus parentibus natus sit, seu de qua servorum progenie. Et verb. *Non infamata*, reddit rationem. Quia fœpè solet filius affimilari patri.

8 Ultimum fundamentum est. Duplex alia est ratio infligendi has pœnas. Prior est, atrocitas delicti parentum. Hoc explicatur *eadem l. Quisquis*, §. *Filii C. ad l. Juliam majestatis*, ibi: *Paterno enim deberent perire supplicio*. Posterior est, ut ex filiorum pœna sentiant parentes supplicium, illiusque timore deterriti caveant hujusmodi delicta. Quam rationem dicunt esse legitimam; præter Doctores omnes allegandos *num. seq.* pro hac sententia, *Glo. extravag. unica Joan. XXII. verbo Quemadolibet de pœnis, Abbas cap. Vergentis, num. 3. de hæretic.* Et hanc rationem dicunt esse magis legitimam *Menochius de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 33. numer. 8. & 12. & cons. 99. numer. 220. vol. 1. Neapodanus in Constitutionibus Siciliæ, verb. Ipsorum filii versic. Credo, quod legislator, Ambrosius Vigna tractatu de hæreticis, quæst. 20. numer. 208.* & ita cum *Exodi 34.* dicatur de Deo: *Qui reddis iniquitates patrum filiis, & nepotibus, in tertiam, & quartam progeniem*, quærit, *Abulensis in hunc locum*, cur non ultra quartam ea punitio extendatur? Et respondet rationem esse: quòd filiorum punitionis causa sit, ut ea torqueantur parentes; at nulli ad quintam generationem accedunt; & rarissimi ad quartam, & ideò non debuere puniri ultra quartam. Quia cum tunc superstites non essent, minimè affligerentur pœna filiorum. Et ratio est, quia cum tantus sit parentum erga sobolem amor, summoperè illius pœna cruciantur. Quod optimè dixit *D. Gregorius* & refertur *cap. Ecclesiæ 1. quæst. 4.* ubi reddens rationem cur primogenita Ægyptiorum morte consumpta sint, inquit: *Ut in illis punirentur, quorum felicitate lætabantur*. Idem tradunt *D. Augustinus Psalmo 108. Tertullianus lib. 2. adversùs Marcionem, D. Chrisost. homil. 26. cap. 4.* Quare *Cicero lib. 1. epistolarum, in epistola 52. ad Brutum*, sic ait: *Nec vero me fugit, quàm sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lui. Et hoc præclarè legibus comparatum est, ut charitas liberorum amiciores parentes reipublicæ redderet*. Imò magis cruciantur parentes pœna filiorum, quam propria. Ut expresè dicitur, *l. Isti quidem, ff. de eo, quod metus causa*. Et ob id dicitur ibi esse timorem viri constantis, non solùm, quando malum timetur in propria persona, sed etiam quando in filiis.

9 His præmissis, in quæstione principali prior opinio est filios eorum læsæ majestatis, divinæ, & humanæ, affici pœnis jure in eorum filios statutis, sive ante delictum, sive post geniti sint, nec ullum inter utrosque discrimen esse. Ducitur primò, quòd ratio infligendi has pœnas filiis, ob hæc parentum crimina, non sit aliqua sanguinis parentum infectio, eo tempore, quo filios genuere. Ut satis probatum est *numer. 6.* Ergo nil prorsus refert, eos ante, aut post delictum parentum genitos esse. Secundò, quia ratio infligendi has pœnas probata latè *numero septimo*, nempe timor in filiis imitandi parentum mores, æquè militat in filiis natis ante, & post delictum natis: in utriusque enim idem timor est, & ita Doctores *eo numero septimo*, relati loquuntur indistinctè de filiis. Et ratio est, quia timor similitudinis vitæ parentum magis oritur ex educatione, & habitatione cum parentibus, quàm ex ortu. Et ideo *capit. finali de convers. infidelium*, puerum infidelium decernitur educandum apud alterutrum parentem ad fidem conversum, ne ab infideli educatus pervertatur. Nam (ut optimè confiderat *Tiraquellus libro 7. connubiali par. 7. glossa prima, num. 2.*) cum omnia adolescentes, quæ oculis excipiunt, instar simiarum imitentur, sit sanè, ut quæcumque fieri vident à parentibus, quorum præsentior, & assiduior est conversatio ad unguem facere nitantur. Quod planè confirmat id, quod refert *Puteus decisione 350. numero unico, libro primo*, nempe decisum esse in Rota, fuisse subreptitiam dispensationem ad beneficium cum filio parentis ob hæresim combusti, eò quòd expresserit se quinquennem fuisse tempore sententiæ latæ contra patrem, cum tamen fuisset duodennis. Et redditur ratio, quia Pontifex majoris illius ætatis conscius, multò difficiliùs dispensaret ob malos mores ex parentis illius conversatione imbibitos. Et ideò *Menochius* multos referens *de præsumptionibus, libro quinto, præsumptione 33. numero decimo sexto*, probat præsumi non solos filios post delictum genitos, sed etiam ante illud, fore parentibus similes. Tertiò, quia utraque etiam ratio *numero præcedenti* declarata imponendi has pœnas, procedit æquè in utrisque filiis, cum respectu utrorumque delictum sit ita grave. Imò posterior ratio fortiùs procedit in filiis ante delictum genitis. Quippe vehementior est amor parentum in filios jam natos, utpotè quos præ oculis habent, quàm in nascituros, quos non vident. Ut optimè considerat *Menochius ea præsumptione trigesimatertia, numero vigesimo secundo*. Atque ideò magis cruciabuntur pœna sobolis jam natæ, magisque timore illius deterrebuntur. Quartò, ex *capit. Vergentis*, ibi: *Eorum filiis hæreticis, & capitul. Filii vel hæredes, & capitul. Quicumque* §. *Haretici autem*, ibi; *Ipsorumque filii, & capitul. Statutum, el 2.* ibi: *Ipsorumque filii, eodem tit. in sexto* ubi indistinctè, & indefinitè, filii hæreticorum pœnis subjiciuntur. Et loquendo de filiis reorum læsæ majestatis humanæ, eodem modo est sermo indistinctè, *l. Quisquis, quinto* §. *Filii verò, C. ad l. Juliam majestatis*. Et eodem modo est sermo de filiis hæreticorum in *l. regia, 3. titulo tertio, libro octavo nova recopil.* Atque eodem modo profertur indefinitè sententia contra hæreticorum filios, declarando eos inhabiles, quando inquisitores fidei sententiam contra patres hæreticos proferunt. At indefinita canonis, vel legis verba tradentia regulam, æquivalent universali orationi. Cujus rationem reddidimus multis citatis, *libro tertio, de matrimonio, disputatione quadragesima quarta, numero secundo, in confirmatione secunda rationis*. Ergo perinde est, ac si dicerent textus illi, *omnes filii*. Quod amplius declaravit *l. regia 2. titulo secundo, parte septima*, ubi de pœnis incursis à filiis reorum læsæ majestatis textus loquens, dictionem universalem appofuit, ibi: *E demas todos sus filios que sean varones*. Quod meritò extendi debet ad omnes hæreticorum filios. Nam Pontifex *dicto capit. Vergentis*, ex pœnis inductis adversùs filios reorum læsæ majestatis, argumentum ducit ad probandum multò fortiùs filios hæreticorum eisdem pœnis plectendos. Et confirmatur primò, quia concepti ante hæresim, dicuntur, verè, & propriè filii hæreticorum, non minùs, quàm concepti post illam, *l. Senatoris filium, in fin. ff. de Senator.* ibi: *Nec interest, an in Senatoria dignitate constitutus eum conceperit, an ante dignitatem Senatoriam*. Et ita filii geniti ante patris Sacerdotium dicuntur filii sacerdotis, *capit. Inter cæteras, de rescr.* ibi: *Filius sacerdotis, & in sacerdotio genitus*. Ubi ne sint posteriora verba frustranea, sunt necessariò priora de genito ante sacerdotium intelligenda. Et ita intelligunt hunc textum *Abb. Marian. & Ripa ibi statim in princ.* & specialiter *Felin. numero secundo*, aliqua congerens ad id probandum, *& Tiraquell. de primog. 9. trigesimoprimo numero, decimosecundo*. Et id clariùs probat textus *c. Ad extirpandas, de filiis presbyt.* ibi: *Si qui filii presbyterorum, sive geniti sint in sacerdotio, sine non*. Et confirmatur secundò, quia *eo capit. Vergentis*, ad probandum justitiam pœnarum filiis pro delicto paterno, sic dicitur: *Quia secundum judicium divinum filii pro patribus temporaliter puniuntur*. At filii ante paternum delictum nati puniuntur, quandoque delicto carentes, ob solum paternum. Ut *Josue septimo* filii Achant sunt simul cum ipso perempti, ob paternum delictum postea admissum, cujus ipsi participes non fuere. Ut testatur *Abulens. eo capit. 7. quæst. 74. & 75.* Et tertiò confirmatur, quia quamvis ex actis constet damnatos certos solos filios habere, eosque ante delictum notos, eodem prorsus tenore fertur sententia Inquisitorum in ipsos, ac eorum filios: Quod perinde tunc est, ac si nominatim exprimerentur, *l. Certum ff. si certum petatur, l. Finali*, §. *Item quæsitum, ff. de condict. indeb.* & tradit *Jason, l. Qui Romæ*, §. *Duo fratres, numer. 27. de verb. obligat.* Insuper frustranea esset sententia, si nati post delictum non clauderentur. Et ampliùs suadet eos claudi, nam quo ad filios verba sententiæ sunt indefinita, & illimitata, cum tamen quo ad tempus confiscationis bonorum, limitentur ad tempus, à quo hæresis est incursa. Quare similiter limitarentur ad filios postea genitos, si ii soli pœnas luerent. Quintò principaliter probatur ex *c. Statutum, el 2. vers. Hoc sanè, de hæreticis in 6.* ibi: *Hoc sanè de filiis, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum hujusmodi, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur*. Ergo cum post mortem nequierint filios generare, liquidò constat etiam eos filios natos ante delictum subjici pœnis. Et confirmatur quia ut filii hanc pœnam subeant, satis est probare parentes eorum fuisse hæreticos, id enim solùm is textus petit. Qui diminutus utique esset, si filii ante hæresim geniti pœnis liberarentur; quippe tunc duo essent necessariò probanda nimirum, patres fuisse hæreticos, ac filios fuisse post delictum genitos. Nec satisfit huic textui, dicendo illum promanasse omnino in horum filiorum favorem, ad temperandum rigorem *cap. Vergentis 10. de hæretic. & c. Quicumque 2.* §. *Hæretici, eodem tit. in 6.* ubi Innoc. IV. & Alexand. IV. excluserant filios hæreticorum usque ad secundam generationem ab officiis, & beneficiis; at Bonifac. VIII. *eo cap. Statutum*, moderatus est, ut ea secunda generatio sit via sola paterna; at via materna, usque ad primam solam; & ut non omnes filii hæreticorom clauderentur, sed solum, quando parentes pertinaces obiere. Quare cum hoc decretum in solum filiorum favorem promanarit, non est in eorum damnum extorquendum, asserendo per illum ligari filios ante hæresim genitos, qui secluso eo textu non ligarentur. Non (inquam) satisfit, quia stat id statutum editum esse in filiorum favorem quo ad illa duo, nec tamen velle illis favere, sed potiùs nocere in alio, nempe ut claudantur etiam geniti post delictum. Sextò probatur *ex cap. Filii, vel hæredes, 3. de hæret. in sexto* ubi habetur ægros vocantes hæreticos, ut per manuum eorum impositionem solatio afficiantur, & sic obeuntes, præsumi decessisse hæreticos, nec filios aut hæredes admittendos ad probandam eorum phrenesim, tempore, quo hæreticos vocarunt, si defuncti erant tempore vitæ diffamati de hæresi, aut constet eos sui comptotes vocasse hæreticos. Cujus ratio redditur in integra Decretali illius textus, ne filii, vel hæredes timore exhæredationis velint malitiam defuncti falsis testibus excusare. At hi filii erant ante paternum crimen vocationis hæreticorum nati. Ergo nati ante crimen

subjacent pœnis, Septimò, quia Innocent. IV. in 8. *sua constitutione*, quæ habetur in volumine constitutionum Pontificiarum, *folio* 9. excipit ab inhabilitate ad officia, & beneficia eos filios, qui parentum delictum detegerunt, ei non conniventes. Quæ exceptio supponit eos filios natos tempore delicti fuisse, ut vel sic possent non connivere, sed detegere, & comprehendi, si non detegerent. Octavò, quia multi, & non bœnitendi Auctores, quos *c. sequenti* referemus, existimant filios hæreticorum privari, beneficiis ante paternam hæresim obtentis. Ergo claudunturfilii ante delictum nati, utpote qui ante illud beneficia obtinuerant. Nono, ex *cap. unico, de schismaticis, in 6. versic. Contra natos*, ubi postquam Bonifacius VIII. tulit sententiam contra Jacobum de Columna schismaticum, descendens ad ejus filios sic ait: *Contra natos insuper, & posteros dicti Joannis, spiritualiter, & temporaliter, duximus multipliciter procedendum*. Et in *extravaganti* Pauli III. adversùs Henricum Angliæ regem, quæ incipit, *Cum Redemptor*, imponuntur pœnæ ejus filiis natis, & nascituris. Tandem, quia pœna per consuetudinem admissa, est omnino exequenda, nec minùs, quàm per legem. Ut latissimè probat *Tiraquell. de pœnis temperandis, in præfatione, num.* 4. Et ratio est aperta, quia consuetudo gaudet vi legis sanciendæ. Si ergo potest pœnam de novo introducere, nedum poterit jam lege statutam declarare; eò vel maximè, quòd consuetudo sit optima legum interpres, *l. De interpretatione, ff. de legibus*. At opinio hæc, ut dictæ pœnæ extendantur ad filios etiam ante delictum genitos, recepta est quotidie in praxi, ut testantur *Simancas de catholicis institution. tit. vigesimo nono, numero vigesimo secundo, Rojas de hæreticis par.* 2. *num.* 356. *Penna* 3. *par. directorii Inquisitorum, commento* 163. *column.* 2. *versic. Commissis tamen rationibus*, qui sunt testes omni exceptione majores, utpote qui fidei Inquisitores fuere; & maximè *Simancas* idem testans, quasi suo se gladio, jugulat, cum totis viribus contrariam opinionem tueatur. Et idem testantur *Claudius Aquensis, l. Si quis omnium id quod, numero* 14. *ff. de jurisdict. judicum, Perez lib.* 4. *ordinamenti, titulo* 9. *l.* 3. *versicul. Despues que fizo la traicion, Hojeda de incompatibilitate beneficiorum* 1. *par. c. penultimo, numero nonagesimo nono*. At Doctoribus asserentibus consuetudinem est fides habenda. Ut tradunt *Bartolus repetit. l. De quibus, nùm.* 21. *ff. de legibus, Antonius Gomez l.* 41. *Taur. num.* 4. & multi alii, quos refert *Mascardus de probat. conclusione* 426. *numero* 1. & 2. quam ipsemet amplectitur multis relatis *à numero undecimo*, & maximè *numero decimonono*, cum hac moderatione, ut si Doctores communiter testentur consuetudinem, sit plena, & sufficiens probatio; si autem unus, vel duo eam testentur, non sit plena, & necessariò concludens, sed præsumptiva, & transferens onus probandi in adversarios; & *eodem numero decimonono* alios referens ait hoc esse verum, si testentur de illa curia, in qua versati sunt. Cum ergo quinque Doctores citati testentur hanc consuetudinem, & tres illorum versati sint in Inquisitorum curia, est illis necessariò fides habenda. Quia etsi non probent concludendo, probant tamen, dum adversarii oppositam consuetudinem non docent. Et ideò loquentes de crimine læsæ majestatis humanæ, sunt hujus sententiæ *Gl. c. Si quis cum militibus, verbo Filii*, 6. *quæst.* 1. *Salicet. l. Quisquis*, §. *Filii verò, num.* 10. *C. ad l. Juliam majestatis, & ibi Alberic. num.* 4. *Angelus de maleficiis verborum. Et hoc tradito in tua patria, nu.* 13. *versic. Quærit ibi*. Et *Augustinus Ariminensis ibi, in additionibus, Imerius*, etsi subobscurè, *decisione* 7. *numer. sexto, Platea*, §. *Publica autem, numer.* 27. *instit. de publicis judiciis, Gygas de crimine læsæ majestatis, lib.* 3. *titul.* 1. *de pœnis, quas filii incurrunt, quæst.* 5. *numer. secundo, Nellus tractatu de banditis*, 1. *par. primi temporis, quæst.* 10. dicens fortè hanc esse veriorem, *Rolandus consilio* 74. *numer.* 2. *volum.* 3. *Afflictius in constitutionibus Regni Siciliæ rubrica secunda, numero trigesimo nono*. Et quamvis Doctores hi non loquantur de hæresi, nec existiment valere argumentum à crimine læsæ majestatis ad crimen hæreseos, quasi eo ipso, quòd imponantur in priori crimine pœnæ filiis antea natis, censeantur quoque impositæ in posteriori; ex alio tamen capite credo hos omnes Doctores dicturos idem de hæresi, si de illa agerent. Quippe eodem prorsus tenore, quo imponuntur pœnæ filiis ob paternum crimen læsæ majestatis humanæ *l. Quisquis*, §. *Filii, C. ad l. Juliam majestatis* imponuntur filiis hæreticorum, *capit. Vergentis* 10. *de hæret.* In utroque enim loco est sermo indistinctè, & indefinitè de filiis; & utrumque jus in utroque crimine, eisdem rationibus ducitur ad filios puniendos. Et Pontifex *eo capitulo Vergentis*, ex pœnis jure civili inflictis in filios reorum læsæ majestatis humanæ, arguit jure optimo eas imponendas ob hæresim paternam, quæ multò gravius crimen est. Atque in propriis terminis loquentes tam in filiis committentium crimen læsæ majestatis, quàm hæreticorum, tenent *Bellapertica, l. Nullus, num. unic. C. ad l. Juliam majestatis, Ant. Burgens. c. Inter cateras, à numer.* 7. *usque ad* 10. *de rescript. Joann. Lupus de justa obtentione regni Navar. par.* 5. §. 8. *in* 4. *objectione*; quamvis idemmet *cap. Per vestras, notab.* 3. §. 23. *numer.* 21. *de donat. inter vir. & uxor*, dubius manserit, reliquitque cogitandum, *Repertorium Inquisitorum verbo Filii vers. Sed quæro, an pena prædicta, Villadiego de hæret. quæst.* 23. *ad fin. Gregor. Lopez*, etsi dubius, ac relinquens cogitandum, in hanc tamen partem plus inclinans, *lib.* 2. *verb. Suos filios, tit.* 2. *parte* 7. *Decianus, in sua pract. lib.* 5. *capit.* 45. *numer.* 3. *vers. Amplia, ut procedat*, ubi loquitur in crimine hæresis, & *lib.* 7. *capitul.* 41. *numer.* 8. loquitur in crimine læsæ majestatis, *Cantera in quæst. criminalibus, titul. de quæst. tangentibus punitionem delicti, capitul.* 1. *numer.* 11. *Surdus de alimentis, tit.* 1. *quæst.* 31. *in fine*. Atque idem tenent loquentes de solis hæreticorum filiis, *Castro de lege penali, lib.* 1. *cap.* 7. *documento* 2. *corollario* 1. & *lib.* 2. *de justa hæreticorum punitione, cap. finali, Covarr. l.* 2. *variar. capitul.* 8. *num.* 5. *vers.* 4. *Perez lib.* 4. *ordinamenti, tit.* 9. *lib.* 3. *vers. Despues que fizo la traicion, & lib.* 8. *tit.* 7. *l.* 1. *col.* 6. *Rojas de hæreticis, p.* 2. *numer.* 356. & *in suis singularibus fidei, singulari* 68. *num.* 3. *Penna directorio Inquisitorum* 3. *par. commentario* 163. *col.* 2. *vers. Omissis tamen rationibus, Rota in novissimis, vol.* 3. *lib.* 2. *par.* 3. *decis.* 114. *in fine, Bursatus cons.* 7. *numer.* 31. *volum.* 1. *Menochius de præsumptionibus lib.* 5. *in præsumptione* 33. *à numero* 17. *Otalora de notabilitate* 4. *par. principali cap.* 9. *numer.* 8. *Umbertus Locatus in praxi judiciaria Inquisitorum, verbo Filii, vers. Et nota, quòd filii, Hojeda de incompatibilitate beneficiorum par.* 1. *cap. penult. numer.* 99. *Quemada*, etsi dubius, *de bonis confiscatis quæst.* 24. *in fine, Gratian. regul.* 55. *num.* 25. *Avend. junior l.* 4. *Tauri, glossa* 7. *numer.* 10. *Azevedo* quamvis dubius, *lib.* 5. *recopilat. tit.* 4. *lib.* 3. *numer.* 23. *Gutierrez quæst. canon. lib.* 2. *cap. ult. à numer.* 37. *usque in finem, Barbosa lib.* 1. *par.* 4. *numer.* 85. *ff. de soluto matrim. Suarez.* 5. *to. in* 3. *par. disputat.* 43. *sect.* 3. *num.* 2. *Azor. tom.* 1. *instit. moralium, lib.* 8. *cap.* 13. *post quæst.* 8. *in* 8. *hæreticorum pœna, & tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 3. *versic. Dubia quæst. est, an filii geniti, Lalius Zecchius in sua summa, tract. de fide cap.* 11. *de hæresi, num.* 16. *post* 12. *hæreticorum pœnam, versic. Ampliatur, ut prædicta pœna*. At in crimine læsæ majestatis humanæ tenent contrarium in hoc regno propter *legem regiam* 6. *tit.* 27. *par.* 2. *Covarr. Gutierrez num.* 46. *Gratian. Azevedo ibidem*. Allegantur pro hac sententia *Claudius Aquensis, l. Si quis id quod, num.* 14. *ff. de jurisdict. omn. judicum, Galindo in disputatione regia*, §. 18. sed nequii copiam utriusque assequi, & ideò me latet, quid dicant. Citantur etiam *Joannes Andreas, cap. Ut commissi, numer.* 4. *paulo ante finem. de hæreticis in* 6. & *ibi Dominicus*, §. *Privandi, numer.* 4. qui id in propriis terminis non dicunt, sed ajuni filios hæreticorum privari beneficiis obtentis ante paternam hæresim; quare consequenter dicent hos natos ante illam, utpote qui antea beneficium habebant, incurrere pœnas. Quod idem in his terminis beneficiorum tenent alii, quos *cap. sequenti* referam; & ita possunt etiam pro hac sententia citari. Allegatur etiam *Menchaca de successionum resolutione, libro* 2. §. 12. & *de successionum progressu, lib.* 1. §. 1. *n.* 168. Sed falsò, quia in priori loco nil dicit; in posteriori autem tantùm ait amitti bona hæreticorum ipso jure, etiam in præjudicium filiorum natorum ante hæresim. Quod apud omnes est indubitatum, quia cum omnia ea bona sint in patris hæretici dominio, transeunt in fiscum; nec hoc ad filiorum pœnam, sed solius patris pertinet. Sicut quando pater mulctatur pœna pecunaria, non infertur quasi filiorum pœna, etsi inde damnum in ipsos redundet. Alii etiam falsò allegantur quos ideò non memoro. Atque hæc sententia est probabilissima.

10 Ut statuam posteriorem sententiam (cui tamquam probabiliori adhæreo) præmittendum est quadruplex fundamentum, cui innititur. Primum est. Summopere operatur ad bonos, aut pravos sobolis mores, fuisse bonos, aut scelerates parentes tempore conceptionis. Sicut in naturalibus bona parentum valetudo, aut vitiosa, operatur multùm ad bonam, aut vitiosam prolis formationem. Quod clarè docent *Ovid. lib.* 4. *metam. ibi*:

Et patrum in natos abeant tum semine mores.

Macrob. lib. 5. *saturnalium cap.* 11. *ad medium*, ibi: *Valet ad fingendas, atque animi similitudines formandas, vis, & natura seminis*. Idem verbatim ait *Aulus Gellius lib.* 12. *noctium Attic. capitul.* 1. dicens esse verba Phavorini Philosophi. *Domino Gregorio hom.* 20. *in Evangelia, in ea verba, Genimina viperarum*, ait sic: *Mala soboles malorum parentum actionem imitantes genimina viperarum vocantur*. Et explicatis distinctis criminibus perpetratis, concludit sic: *In his omnibus patrum suorum carnalium vias sequuntur, quasi venenati filii de venenatis parentibus nati sunt*. Ubi pondero ea verba, *De venenatis parentibus*, id est, jam infectis tempore conceptionis. Et *Divus Augustin. in Apoc. homil.* 14. *ad finem, in tomo* 9. *explicans eo verba Apoc. cap.* 17. *Bestia fuit, & non est*, sic ait: *hoc intelligitur, quod ex populo malo nascatur populus malus; & posit dicere, bestia ex bestia, abyssus de abysso. Quid est dicere, bestia ex bestia, nisi, populus nascens ex populo malo?* Ubi attende, qualiter originem considerarit. Et clariùs *libro quarto quæstionum novi, & veteris testamenti quæstione decimatertia*, reddens rationem, cur infantes Sodomæ cum parentibus cremati sint, sic ait: *Nonne provisum est etiam illis, ne diu viventes sequerentur exempla parentum?* Ubi non spectavit *Divus Aug.* futuram parentum educationem; quia apud illos jam crematos nequibant infantes educari, sed spectavit originem, & conceptionem ex parentibus pessimo sodomiæ vitio infectis, quasi inde in filios pessima ad id vitium proclivitas transfundatur. Et *Cœlius Rhodiginus lib.* 3. *lect. antiquarum capitul.* 29. *in fine*, ibi: *A flagitiosis geniti, ad delinquendum procliviores, magis quàm lubrici evadunt*. Et *Theognis in exhortatione ad filium*, ibi: *E squilla non nascitur*

rosa, aut Hyacinthus; neque ab ancilla ingenuus, probam prolem haud pater gignet improbus. Ubi clarè originem attendit. Et optimè *Faber instit. de nuptiis, rubr. num.* 2. sic ait: *Ut in plurimum nedum labes sanguinis, sed & morum, ad posteros traducitur*. Ubi clarè docet ex sanguine infecto traduci pravos mores. Atque mirè id tradunt *Tiraquell. l.* 7. *connubiali, in p.* 7. *glosf.* 1. *num.* 2. & *Cassanenus in catalogo gloriæ mundi par.* 2. *consideract.* 24. his verbis: *Pleraque sunt animi vires, quæ simul cum corpore à parentibus transfunduntur in filios. Sic enim natura comparatum est, ut cum Ticino loquamur, & corpus & anima proportione quadam harmonicæ congruant, motusque corporis in animam, sicut & anima in corpus, facillimè, & vehementissimè penetrent. Idcoque quamquam non educitur anima filii, aut à corpore parentis, aut ab anima; tamen corpus tale, & cum tali proclivitate quodam, à tali quodam corpore parentis educitur*. Quod miro *Platonis in Charmide* testimonio probat idem *Tiraq. de nobilit. c.* 21. *numer.* 293. ubi *Plato* ait magnos illos animæ, & corporis medicos, Zamolxidis, & Abaridis arbitrari omnia corporis, & bona, & mala ab anima fluere in ipsum corpus. Atque idcò *num.* 293. & *sequentib.* latè probat *Tiraquell.* ex Galeno, & aliis, maximè conducere corporis temperaturam ad animi affectiones. Quod idem sentere *Baldus l. Gallus*, §. *Quidam rectè, num.* 2. *col.* 3. *vers. In* 2. *gloss. Magna, ff. de liber. & posth.* ibi: *Vitium, quod est in radice naturali, transit ad posteros*. Et *Fulgosius consilio* 159. *num.* 1. ibi: *Cum pater, qui est radix, sit corruptus, non potest bonus filius à corrupta radice descendere*. Et *Thomas Grammaticus cons.* 31. *num.* 6. ponderat quemdam non processisse à sanguine infecto, ne sit mala contra ipsum præsumptio. Et *Castro l.* 2. *de justa hæreticorum punitione c.* 9. ibi: *Nam qui à parentibus bonis genitus est, naturalem quamdam inclinationem ad bonum, ut in plurimum ab ipsis parentibus suscipit; quoniam ab illis corporis complexionem deducit; qua si bona est, non parum est ad virtutem adiutorium, & incitamentum*. Unde *Aristot. l.* 1. *politicorum c.* 4. ait: *Ut ex hominibus hominem, ex bestiis bestiam, sic ex bonis bonum generari. Sed natura quidem hoc vult, attamen p'erumque non potest*. Ergo à contrario sensu, quando pater est iniquus, transfundit pravas in sobolem propensiones.

11 Secundum fundamentum est. Quamvis multum conferat bona, aut mala educatio ad probos, aut improbos sobolis mores; at potiùs conferunt conceptio ipsa ex sanguine infecto, & pravæ inclinationes à conceptionis tempore imbibitæ. Et ita *Horat. lib.* 4. *carminum, Ode* 4. pulchrè priori in loco causam malorum morum apponit naturam, & stirpem, deinde educationem, ibi:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Quod idem fecit *Plato in Oratione funebri*, Sic dicens: *Boni autem fuerunt, quia ex bonis nati sunt. Generis igitur præstantiam prius laudemus, deinde educationem, & doctrinam*. Et ratio est, quia mores pravi ex sanguine parentum infecto sunt quasi naturales: qui autem ex mala educatione consurgunt, sunt accidentarii. Ut optimè *Pindarus in Olympis hymno* 11. *in fine*, ibi: *Sicut & natura insitos mores, neque astuta vulpes, nec graviter rugientes, & prævalidi leones mutare queunt. Et hymno* 13. *Difficile est occultare nativos mores. Et Hor. l.* 1. *epist. in epistola ad Fuscum Aristium*, ibi:

Naturam expellas furca, tamen usque recurret;
Et mala perrumpet furtim vestigia victrix.

Et *D. Greg. Naz. tom.* 2. *in epist.* 57. *ad Eudoxium rhetorem. Natura sequitur semina quisque suæ, & ut plurimum rectè succedunt, quæ natura duce aggredimur. At contra, quæ invita natura suscipiuntur, spem frustrari solent*.

12 Tertium fundamentum est. Ex utriusque parentis infectione tempore conceptionis, infectio in prolem redundat; cum uterque ad generationem concurrat. At multò efficacior est patris infectio ad id prolis damnum. Et ratio est, quia semen maternum multò minùs ad prolis generationem, quàm paternum concurrit, cum solùm concurrat, aut tamquam causa materialis, ut tenent multi, quos retuli *l.* 2. *de matr. disput.* 21. *num.* 10. Vel si concurrat etiam activè, ut tenent alii, quos *ibi num.* 11. retuli, potissimus tamen ejus concursus est, ut causa materialis; quamvis etiam concedatur nonnihil concursus activi. At semen virile secundùm omnes est causa efficiens, & principale agens, præbensque totum suum esse, & ideò nobilitas, vel ignobilitas prolis derivatur, non à matre, sed à patre. Ut tradens hanc rationem docet cum aliis *Tiraq. de nob. c.* 18. *nu.* 20. Atque ideò in naturalibus defectus sobolis potiùs à patre, quàm à matre participatur. Atque id in nostris terminis optimè docuit *D. Chrys. tom.* 2. *in cap.* 23. *D. Matth. homil. in medio*, *litera D.* ubi docens filios interdum sequi malos paternos mores, internos maternos, concludit hæc: *Frequentius tamen est, ut nati patrem sequantur*. Quòd idem confirmat communis Theologorum sententia dicentium ex solius Evæ peccato nullum in posteritatem damnum redundaturum; benè autem ex solius Adami. Quòd hic fuerit principale agens, principaleque totius posteritatis caput. Idemque probatur ex ipsomet contextu *l. Quisquis* §. *Filii, C. ad l. Juliam majest.* ibi: *In quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla metuuntur*. Ubi non sine mysterio non meminit textus materni criminis, sed solius paterni, ad significandum pravos mores potissimum à paterno semine derivari. Qua ratione tradunt *Host. c. Vergentis, nu.* 4. *de hæretic, Salicet. ea l. Quisquis*, §. *Filii, n.* 9. *Francus, c. Statutum, el* 7. *n.* 1. *notab.* 2. *de hæret. in* 6. *Zanchinus de hæret. c.* 28. *num.* 9. & multis aliis citat. *Gygas de crimine læsæ majest. lib.* 3. *tit.* 1. *de pœnis, quas incurrunt filii patre committente crimen læsæ majest. q.* 17. *à n.* 9. *usque in fin. Decianus pract. crim. lib.* 7. *c.* 41. *n.* 14. jura punientia filium ob crimen parentum usque ad certum gradum intelligi de sola linea paterna, nisi maternæ quoq; fiat mentio. Et ideò ajunt sola matre rea læsæ majestatis non puniri filios; quia textus *ea l. Quisquis*, puniens indistinctè hos filios, non expressit lineam maternam. Et reddunt rationem *Salyc. & Gygas ibi*, quòd potissimum generationis filiorum principium sit pater, illique magis filio assimilentur.

13 Ultimum fundamentum est, Ratio expressa in *l. Quisquis*, §. *Filii, C. ad l. Juliam majest.* ob quam in his criminibus atrocibus puniuntur filii ob parentum crimen, nempe timor, fore ut filii mores parentum imitentur respicit primariò, & potissimùm pravam eorum filiorum originem, ac conceptionem ex sanguine jam vitiis illis infecto. Quippe jure optimo timetur ex ea sanguinis infectione pronitas ad eadem crimina perpetranda, in filios facilè pullulatura. Nec jus considerat educationem, aut si aliquam ejus rationem quoque habeat, id erit secundario, & per accidens. Quod auctoritate, & ipsomet textu, & ratione probabo. Auctoritate, nam *Cyn. l. Sancimus, n. unic. C. de pœnis, & d. l. Quisquis, nu.* 1. *vers. secundo oppono, & ibi Angel. vers. Filii, & l. Adoptivum*, §. *Patronum, el* 1. *num.* 3. *in fine ff. de in jus vocando, Bald. l.* 2. *ante num.* 1. *notab. ult. C. de libertis, & eorum liberis, Dynus regula Sine culpa* 23. *in fin. de regul. jur. in* 6. *Corrasius l. Filiam, n.* 9. *ff. de Senatorib. Decius cons.* 64. *n.* 3. *vol.* 1. *Matth. de Afflict. l.* 1. *Constitutionum Neapolitanarum, rubr.* 2. *num.* 42. *Auctor incertus in tractatu de crimine læsæ majest. quæst.* 7. *num.* 2. *Decian. pract. crim. lib.* 7. *c.* 41. *num.* 28. hoc tradunt. Idem constat ex ipsomet contextu in *d. l. Quisquis*. §. *Filii*, ibi: *In quibus paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuuntur*. Ubi crimen id, cujus imitatio timetur in filio, vocatur *hæreditarium*; quale non dicitur, quod ex prava educatione oritur, sed quod ex ipsomet sanguine infecto; & ex ipsamet filiatione derivatur in filios. Sicut *D. Aug. lib.* 1. *retract. c.* 13. *tom.* 1. vocat crimen originale, quodammodo hæreditarium, quod ex semine infecto participetur, ibi: *Quia ex primi hominis mala voluntate contractum factum est quodammodo hæreditarium*. Quam eamdem rationem clarè significat *lex regia* 6. *ad finem, tit.* 27. *p.* 2. ubi postquam decidit filios ante parentum crimen genitos non incurrere pœnas, subdit hæc: *E à los otros que metieron en la pena, fue, porque los fizieran despues que estavan emponzonnados en el mal que oviessen fecho, temiendose que en alguna razon recudiessen à aquellos mismos*. Tandem ratione idem probatur, quia si textus respiceret educationem, magis puniendi essent filii ob delictum maternum, quàm paternum. Cujus contrarium constat ex *c. Statutum, el* 2. *de haret. in* 6. Quippe spectata educatione, multò justior est timor imitationis morum matris. Nam primo triennio proles apud ipsam educatur; & mores tunc facillimè imbibuntur, ac difficillimè eradicantur. Quod optimè docuit *Plato l.* 4. *de virtute, & lib.* 26. *de pulchro*, ibi: *Quia in pueris ingenia sunt mobilia, & ad percipiendum facilia, ita celeriter capiunt, ut non tunc discere illa videantur, sed reminisci, atque recognoscere*. Et *Quintil. l.* 1. *institutionum oratoriarum c.* 12. ibi: *Dociliora sunt ingenia prius, quàm obduruerint*. Et *Vegetius lib.* 1. *suorum operum* 20. *ap.* 4. ibi: *Nec tantùm celeriùs, sed etiam perfectiùs imbibuntur, quæ discuntur à pueris*. Atque ideò *Horatius in eo vulgatissimo carmine* dixit:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Rursus, quòd lac pueris à matre ministratum non parum conferat ad ejus mores imbibendos. Ut optimè docent *Aulus Gellius lib.* 12. *noctium Atticarum cap.* 1. & *Macrobius lib.* 5. *Saturnalium c.* 11. his verbis: *Non frustra creditum est, sicuti valeat ad fingendas animi, atque corporis similitudines, vis, & natura seminis; non secùs ad eamdem rem, lacti quoque ingenia, & proprietas valere*. Et *Laguna in Dioscoridem de materia medicinali, lib.* 2. *capitul.* 65. §. *La leche, paulò post principium*, ibi; *Y juntamente le da à mamar con la leche, agrestes, y salvajes costumbres*. Item, quia cum mala pronitas ex infecto sanguine derivata sit naturalis, multò difficiliùs vincitur (ut *numer.* 11. probavi) unde potissimus imitationis timor inde consurgit; atque ideò merito censendum est, textus has pœnas filiis ob eum, timorem statuentes, spectasse hanc derivationem ex sanguine infecto.

14 His ergo præmissis, posterior sententia, quam probabiliorem credo, ait filios conceptos ante crimen læsæ majestatis, divinæ, vel humanæ, minimè affici pœnis contra hos filios jure statutis. Probatur primò, quia timor imitationis parentum ex infecto sanguine consurgens, qui est potissima harum pœnarum ratio (*ut num. precedenti* probavi) non habet locum in filiis conceptis ante delictum parentum; quippe sunt ante eam sanguinis infectionem